UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv, Sacræ Theologiæ Professoris, Et sanctæ Inquisitionis Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtvtibvs, Et Vitiis Contrariis, In ...

Continet Tractatvm Serie Vigesimvm-Octavvm De Matrimoniis, & Sponsalibus, cum Indicibus necessariis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

An pars iustè ab sponsalibus resiliens ob ingressum religionis, vel ob aliud impedimentum inculpabile teneatur comparti soluere expensas, si quas in parandis nuptiis fecit. Pun. 33.

urn:nbn:de:hbz:466:1-76659

Visual Library

mentum audiuit, qui tamen de hoc impedimento non præſtitit iuramentum: ſicuti rectè dixit Coninch. *dicto dub.* 11. *num.* 79. Sanch. *diſp.* 71. *num.* 10. Gutierr. *cap.* 36. *num.* 9. Excipi tamen debet, niſi teſtetur de impedimento conſanguinitatis, vel affinitatis, nam eo caſu ſi deponat ſe audiuiſſe ſaltem à duobus ſuis maioribus, diſtinguátque apertè gradus ab vtraque parte iuxta Textum in *c. licèt ex quadam de Teſtibus* ei fides adhibetur: quia ea aperta gradus computatio æquiualet depoſitioni certæ de impedimento, ob quam cauſam *in dicto capite licèt* requiruntur duo teſtes de audita conſanguinitate deponentes; quia agebatur de matrimonio contracto diſſoluendo, pro cuius diſſolutione duo teſtes neceſſarij ſunt. Cùm ergo pro ſponſalium diſſolutione vnicus ſufficiat, ſi hic deponat de audita conſanguinitate diſtinguens apertè gradus ab vtraque parte plenam probationem conſtituet. Secundùm Couaruu. 4. *decret.* 2. *part. cap.* 7. §. 10. *num.* 21. Gutierr. *canon. qq. lib.* 1. *c.* 11. *num.* 34 & *de matr. c.* 36. *num.* 10. Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 71. *n.* 11. Maſcard. *d. concluſ.* 1035. *num.* 10. & alios. Denique deponens debet eſſe perſona honeſta, non verò vilis; hæc enim neque ad denunciãdum admittitur, niſi factum ita clandeſtinum ſit, vt aliter non poſſit probari, *Argum. Textus cum Gloſſa cap. cùm dilecti de electione. c. præterea, de Teſtibus*: cui teſtimonio quantum deferri debeat, Iudicis arbitrio remittendum eſt, vt latè tradit Menoch. *de arbitrar. lib.* 2. *caſu* 90. & notarunt Sanch. *d. diſp.* 71. *num.* 12. Gutierr. *d. cap.* 36. *num.* 12.

5. Difficultas autem non leuis eſt, An ſi ſponſalia iurata ſint, ſufficiat vnicus teſtis deponens ex certa ſcientia de impedimento? Negant Gloſſ. *cap. ſuper eo de conſanguinit. & affinit. verbo fama* & *c. præterea el.* 2. *de ſponſal. verbo, niſi.* Gregor. Lopez, *leg.* 18. *tit.* 9. *part*.... *verbo iura.* Paludan. *in* 4. *d.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *caſu* 9. *num.* 27. & alij relati à Sanch. & Gutierr. ſtatim referendis. Mouentur tum ex *dicto capite præterea*, vbi dicitur vnius teſtimonium ſufficere ad diſſoluenda ſponſalia, niſi ſint iurata. Tum ex *dicta leg.* 18. ibi: [mas ſi tal deſpoſorio como ſobredicho es fueſe firmado por jura, no ſeria creido en ſu cabo ninguno deſtos ſobredichos.] Tum ex *cap. cùm in tua* 27. *de ſponſalib.* ibi: *vltra teſtem fama requiritur, eo quòd illa ſponſalia iurata erant.* Tum ex ratione, quia ideo vnicus teſtis deponens de impedimento ſufficit ad ſponſalia non iurata diſſoluenda, quia agitur de peccato ſponſorum vitando, quod maximè fauorabile eſſe debet; at cùm ſponſalia iurata ſunt, agitur de impedienda iuramenti obſeruatione, ergo hæc obſeruatio, vtpote certò debita omittenda non eſt ob impedimentum incertum, nec plenè probatum.

6. Nihilominus verius, & probabilius eſt ſufficere vnicum teſtem integrum de cauſa impeditiua matrimonij deponentem. Sic alijs relatis docent Couaruu. 4. *decret.* 2. *part. c.* 7. §. 10. *num.* 22. Maſcard. *de probat. concl.* 1035. *n.* 10. Sanch. *diſp.* 71. *num.* 8. Gutierr. *de matr. cap.* 36. *num.* 7. Mouentur; quia probatio famæ de impedimento ſufficiens eſt ad ſponſalia etiam iurata diſſoluenda, vt deciditur *capite ſuper eo de conſanguinit. & affinit.* Sed vnus teſtis integer æquè, imò efficacius ac fama probat, vt eſt in confeſſo apud omnes, & vt videre eſt in Maſcard. *de probationibus concl.* 753. Sanch. *lib.* 2. *de matr. diſp.* 45. *numero* 27. Ergo, &c. Deinde in *capite ſuper eo de teſtibus* expreſsè dicitur vnius teſtimonium ſufficere ad diſſoluenda ſponſalia, neque reſtringitur deciſio ad ſponſalia non iurata. Ergo non eſt à nobis reſtringenda, præcipuè cùm adducta pro contraria parte non vrgeant.

Nam teſtis, cuius mentio fit in *cap. præterea* non erat omni exceptione maior, quia nomine non publicato deponebat, allegabátque turpitudinem ſuam, cùm tamen ad diſſoluenda ſponſalia iurata nomen teſtis coram partibus publicandum eſſet. Idem dici poteſt ad *leg.* 18. teſtis enim ibi adductus conſanguineus eſt contrahentis, & ob eam cauſam aduerſus ſponſalia iurata non plenè probat. Teſtis verò relatus in *cap. cùm in tua* non depoſuit, ſed ſolùm denunciauit impedimentum, ideóq; mirum non eſt, quòd vltra eius denunciationem fama impedimenti probata requiratur, vt benè ex Alexand. de Neuo *ibi*, *num.* 9. notarunt Sanch. *d. diſp.* 71. *n.* 14. Gutierr. *cap.* 36. *num.* 13. Ad rationem autem reſpondeo, ſiue ſponſalia iurata ſint, ſiue non, ſemper agi de vitando peccato ſponſorum, ne impediti matrimonium contrahant, neque ibi agitur de impedienda iuramenti obſeruatione, ſicuti nec de impediendo iure alterius quæſito, quia ſtante ea probatione de impedimento, obſeruatio iuramenti, & ius ſponſorum ſibi quæſitum ceſſat,

7. Tertiò ex fama à fide dignis orta ſumitur ſufficiens probatio ad ſponſalia etiam iurata diſſoluenda, vti deciditur, *c. ſuper eo de conſanguinit. & affinit.* & tradunt aduerſus Paludan. ex communi ſententia Couaruu. 4. *dec.* 2. *part. c.* 7. §. 10. *n.* 22. Sanch. *diſp.* 71. *num.* 14. Gutierr. *de matr. c.* 36. *n.* 13. Vt autem fama probet debet eſſe allegata, & probata, quia Iudex non aliter iudicare poteſt. Quare non credo quod ait Sanchez *d. diſp.* 71. *num.* 15. ſufficere eſſe impedimentum notorium, niſi eſſe notorium probetur, aliàs Iudex ſententiam ferret ex priuata notitia, & non publica, vt benè notauit Gutierr. *num.* 14. Iudex autem priuata famæ notitia ductus poterit per ipſam de plano, & abſque ordine vllo iudiciario, & abſque vlla participatione de impedimento inquirere, ſicuti aliis relatis dixerunt Sanchez *diſp.* 71. *numero* 5. Gutierr. *cap.* 36. *num.* 14. Et licèt Sanchez probauerint in hæc ſpecie opus non eſſe, vt teſtes iurent, rectiùs Gutierr. Affirmauit id neceſſarium eſſe, eo quòd teſti non iurato in præiudicium tertij credi non debet, vt *ſuperius* diximus, & docuit ipſe Sanch. *n.* 10. Deinde debet eſſe forma non infirmata aliis clarioribus probationibus contrariis ex Textu, *in c. cùm in tua de ſponſalibus* & *ibi* Gloſſ. *verbo, famam.* Maſcard, *d. concl.* 1035. *num.* 14. Sanchez *d. diſp.* 71. *num.* 16. Gutierr. *cap.* 36. *num.* 15. Infirmatur autem prædicta fama conſanguineorum iuramento ex *dicto capite cum in tua*, & *ibi* Abbas, & Alexand. de Neuo. Sanch. *n.* 17. & Gutierr. *ſuprà num.* 15. imò & ipſorum contrahentium iurantium ſe non eſſe conſanguineos, arbitrióque Iudicis relinquitur, quantum huic iuramento deferendum ſit, vt ex Maſcard. *num.* 16. Sanch. & Gutierr. *loc. cit.* conſtat.

Et licèt Anton. *cap. ſuper eo de eo qui cognouit conſanguin. n.* 7. & *ibi* Præpoſit. *num.* 4. cenſeant rumorem ſufficere ad impediendum matrimonium, verius tamen inſufficientem eſſe, vt colligitur ex *capite ſuper eo.* Tantùm enim famæ, quæ eſt acclamatio, ſeu opinio maioris partis viciniæ, in qua ad minus habitant decem conceditur hæc poteſtas, vt virtute illius diſſolui ſponſalia poſſint; non autem rumori, qui eſt opinio minoris patris, vti ex Gloſſ. Cardin. Alexand. de Neuo docuit Sanchez *d. diſp.* 71. *in fine, numero* 18. Gutierr. *d. cap.* 36. *num.* 16.

8. Hucuſque loquuti ſumus de probatione cauſæ impedientis matrimonium; ac ſi cauſa quæ ad ſponſalium diſſolutionem allegatur, matrimonij impeditiua non eſt, ſed ſolùm concedit alteri ius reſiliendi, eſto Paludan. *in* 4. *diſp.* 27. *quæſt.* 1. *art.* 3. *caſu* 1. *num.* 17. exiſtimet vnicum teſtem, vel famam iuxta ſupradicta ſatis eſſe, vt Iudex ſponſalia diſſoluat, meritò contrarium docet Sanch. *lib.* 1. *diſp.* 7. *num* 7. Gutierr. *cap.* 36. *num.* 17. Coninch. *dub.* 11. *concluſ.* 4. *num.* 8. Layman. *lib.* 5. *tract.* 10. 1. *part. cap.* 2. *num.* 12. *verſ. Dico* 3. eo quòd in dicto euentu non agitur de peccato vitando, ob cuius rationem conceſſum eſt in *dicto cap. ſuper eo*, & *cap. præterea*, quod vnus teſtis, vel fama ſufficiant. Sed tractatur de ſolo tertij præiudicio, vbi neceſſarij ſunt duo teſtes, ſicut in omnibus aliis cauſis ex *leg. vt iuriſiurandi, Cod. de teſtibus cap. licèt ex quadam, cap. veniens cap. in omni negocio de Teſtibus* Excipit tamen Layman. *dicto num.* 12. niſi timerentur infelices exitus, & ſcandala ex tali matrimonio, quia eo caſu vnius teſtimonium ſufficiens eſſet, ſed eſt fruſtranea exceptio, nam ſtante eo timore probabili ſponſalia diſſolui poſſent nulla alia cauſa comprobata. Illud verò certum eſſe debet pro foro conſcientiæ ad diſſoluenda ſponſalia vnicum teſtem fide dignum etiam non iuratum ſufficere, quia ex vi illius teſtimonij probabiliter, & prudenter iudicare potes impedimentum adeſſe, vti dixit Sanch. *diſp.* 73. *num.* 2. Gutierr. *cap.* 36. *num.* 17.

## Pvnctvm XXXIII.

### An pars iuſtè ab ſponſalibus reſiliens ob ingreſſum religionis, vel ob aliud impedimentum inculpabile teneatur comparti ſoluere expenſas, ſi quas in parandis nuptiis fecit?

1 *Affirmant plures.*
2 *Verius eſt nullam eſſe obligationem iuſtè reſilienti.*

1. AFfirmant Gutierr. *lib.* 2. *canon. qq. cap.* 22. *à num.* 19. & *de matr. cap.* 78. *num.* 3. Henriq. *lib.* 12. *de matrim. cap.* 10. *in fine.* Paul. Layman. *lib.* 5. *ſum. tract.* 10. 1. *part. cap.* 2. *num.* 9. ducti ex eo quòd contrahentes tacitè obligentur ſe ſeruare indemnes caſu quo abſque culpa ſponſalia ſoluantur, Argum. *Textus in leg. ſi pecuniam* 5. *ff. de conditione cauſa data*: vbi dans pecuniam alicui vt iret Capuam altero nondum profecto pœnitere poteſt, ita tamen vt profecturo ſoluat expenſas, ſi quas fecit, neque enim æquum erat, vt profecturus damnum pateretur, cum nullum ex diſſolutione contractus commodum reportaret, potiùs enim illud damnum pati debebat qui ob ſui commodum contractum diſſoluit. Ergo ſoluens ſponſalia abſque alterius culpa, alterum indemnem ſeruare debet.

2 Cæterùm etſi hæc ſententia ſatis probabilis ſit, probabiliorem exiſtimo affirmantem nullám iuſtè reſilienti obligationem eſſe ſoluendi expenſas ab alio factas, quam tenet Petr. de Ledeſm. *de matr. quæſt.* 47. *art.* 5. *dub.* 2. Sanch. *lib.* 5. *de matr. diſp.* 5. *numero* 3. eo quò nullo iure cautum ſit ſic reſilientem obligatum eſſe ad prædictas expenſas: nam lex *ſi pecuniam* id non probat, nam dans pecuniam profecturo Capuam ideò obligatur ſeruare indemnem profecturum, ſi ante profectionem pœniteat, quia ipſe pœnitere poteſt, non tamen profecturus, & cum ſit inæqualis

conditio, meritò obligatur ſoluere profecturo expenſas, ſi quas in parando itinere fecit; quippè non in ſui fauorem, ſed in fauorem dantis pecuniam ſupponentur factæ. Secùs verò eſt in ſponſalibus, in quibus æqualis eſt vtriuſque ſponſi conditio, vterque enim iuſtè reſilire poteſt impedimento appoſito, vel religionis ingreſſu. Non igitur ex vi iuris poſitiui vnus alteri obligatur expenſas ſoluere. Ex natura autem contractus hæc obligatio non infertur neceſſariò, ſiquidem poteſt fieri abſque eo quòd vnus alteri ad prædictas expenſas obligetur, quinimo ſic videtur fieri, dum hæc obligatio non exprimitur, & ius liberè reſiliendi cuilibet eſt conceſſum. Et per hæc fit ſatis oppoſitæ rationi.

### PVNCTVM XXXIV.

### Qualiter puella in loco tuto conſtituenda ſit, cùm ab alio exigitur pro ſponſa?

1 *Quoties eſt timor alicuius violentiæ, ſi in domo parentum exiſtat puella, debet Iudex eam in loco tuto conſtituere.*
2 *Ibi conſtituta examinanda eſt interpoſito iuramento de fide data.*
3 *Examinata puella, ſi nubere velit vno contendente, ſtatim ei tradenda eſt. Secùs ſi negauit fidem datam.*
4 *Idem eſt dicendum, ſi in poteſtate matris, vel tutoris exiſtat.*

1. POteſt exigi à duobus ſimul contendentibus de fide data, vel ab vno tantùm. In vtroque caſu ſi probabilis ſit timor alicuius violentiæ, ſi puella in domo parentum, ſeu conſanguineorum commoretur, poteſt, & debet Iudex Eccleſiaſticus eam in loco tuto, vt in Monaſterio Monialium, vel alia domo conſtituere, quia ad ipſum pertinet, ne damnum innocenti inferatur, neue matrimonia coactè fiant, ſicuti habetur *cap. cùm locum.* 14. *de ſponſalib.* & tradit ibi Abbas, Præpoſit. & Doctores communiter.

2. Conſtituta puella in eo loco examinanda eſt à Iudice interpoſito iuramento de fide data cuinam ex illis duobus viris fidem dederit? factáque illius declaratione non ſtatim illi viro tradenda eſt, tametſi velit, ſed concedendum eſt alteri colligitanti tempus probandi prius ſibi fidem datam eſſe, & iuxta illius probationem cauſa decidenda eſt, interim tamen permanere debet puella in eo loco, vt colligitur ex *dicto cap. cùm locum*; ibi: *Faciat puellam de cuius matrimonio quæritur in domo, in qua nihil eam timere oporteat honeſte teneri, donec prædicta cauſa terminata fuerit, & ſententia ſine contradictione cuiuſque valeat executioni mandari*, & notauit Gutierr. *de matr. cap.* 37. *poſt. med. verſ. rurſus num.* 3.

3. Quod ſi vnus tantùm contendat, ſitque probabilis timor violentiæ, vel ab ipſo, eiúſve conſanguineis, vel à puellæ parentibus: conſtituta in loco tuto, neminique ſuſpecto examinanda eſt, eiúſque liber conſenſus explorandus. Quo explorato ſi nubere velit contendenti ſtatim abſque vlla mora Iudex Eccleſiaſticus ſumpta ſummaria informatione nullum inter ipſos impedimentum adeſſe, eos coniunget, vel coniungi faciet. Verùm ſi ipſa fidem aſſertam negauerit, remanere debet in depoſito, quouſque ſententia ferenda ſine contradictione cuiuſque executioni mandari poſſit, iuxta prædictum Textum *cùm locum.* Probabile tamen eſt (vt inquit Gutierr. *dicto cap.* 37. *num.* 3. *circa finem,*) reddi poſſe parentibus interim dum lis agitatur, & exactior ſponſalium probatio fit, & impoſito illis præcepto ſub cenſura, ſumptiſque fideiuſſoribus idoneis competentis pœnæ pecuniariæ ſoluendæ, ne durante lite alteri puella nubat, neque ex illo loco exibit, cuius decreti Parochi illius loci monendi ſunt, & ſub cenſuris, aliiſve pœnis aſtringendi, ne contra faciant.

4. Ob eandem cauſam, ſi mater legitima tutrix filiam impuberem alicui in matrimonium promiſerit, remouenda eſt ab eius conſortio, & in loco tuto collocanda, quouſque pubes facta liberum conſenſum de matrimonio contrahendo præſtet, quia exiſtens ſub poteſtate matris tutricis præſumi poteſt coactè conſenſura ei, cui à matre promiſſa eſt. Sic Paul. de Caſtro, *conſ.* 127. *volum* 1. Couaruu. 4. *decretal.* 2. *part. cap.* 3. §. 6. *num.* 2. Gutierr. *dicto cap.* 37. *verſ. in tertio caſu.* Qui cenſent ob prædictam cauſam non eſſe matrem à tutela remouendam, tametſi ab educatione filiæ remoueatur.

## DISPVTATIO II.

## *De matrimonij eſſentia.*

### PVNCTVM I.

### Vnde dicatur matrimonium: Et quid ſit?

1 *Vnde dicatur matrimonium?*
2 *Matrimonium multipliciter ſumitur, & eius definitio propria expenditur.*
3 *Satisfit obiectioni, & declaratur, qualiter Beatiſſima Virgo matrimonium contraxerit?*
4 *Triplex eſt matrimonium.*
5 *Quo tempore matrimonium eſt inſtitutum in ratione contractus?*
6 *Quo tempore in ratione Sacramenti, & à quo fuerit inſtitutum?*
7 *Matrimonium Sacramentum virtutem habet conferendi gratiam ex opere operato.*

MATRIMONIVM dicitur teſte Aug. *lib.* 19. *contra Fauſtum, c.* 26. & Aulo Gellio *lib.* 18. *c.* 6. quia fœmina nubit, vt mater efficiatur. Vocatur connubiũ, ſeu nuptiæ, quia virgo quaſi nube obtegitur, & velatur cùm nubit in ſignum ſubiectionis viro, & erubeſcentiæ, iuxta illud Gen. 20. *Hoc erit in velamen oculorum ad omnes qui tecum ſunt.* Fateor tamen nuptias potius ſolemnitatẽ, & celebritatem contractus coniugalis, quam ipſum coniugium, ſignificare, vti dixit Vveſembeq. *in para tit. de ritu nuptiar. num.* 1. Denique appellatur coniugium, quia duos in carne vna coniungit. Quod ſi roges, quare matrimonium potius à matre nomen acceperit? Plures congruentias adducit Nicol. Motius *de matr. in princ. num.* 1. duæ mihi videntur potiſſimæ. Prima, quia prolis, ad quam matrimonium dirigitur mater certa parens eſt. *leg.* 5, *ff. de in ius vocando*, cùm tamen ſæpè pater incertus ſit. *leg. filium ff. de his qui ſunt ſui, vel alien. iuris.* Secunda, quia fœmina in matrimonio grauius onus ſuſtinet, quippe prolem in vtero, & extra vterum ſua ſubſtantia alit, donec per ſe quodammodo ſtare poſſit.

2. Deinde matrimonium aliquando ſumitur pro ipſo contractu, quo ſponſi ſibi inuicem mutuam in corpora poteſtatem concedunt ad matrimonij vſum, frequentiùs tamen pro ipſa poteſtate, & ſic ſumptum communiter definitur. *Coniunctio maritalis viri, & fœminæ inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ, conſuetudinem retinens*, vti colligitur ex Modeſtino *leg.* 1. *ff. de Ritu nuptiar.* §. 1. *inſtit. de patria poteſt cap.* 1. *illud, in fine de præſumpt.* & *in ſumma* 27. *q.* 2. *leg. regia.* 1. *tit.* 1. *part.* 4. & tradunt omnes Doctores apud Couaruu. *in.* 4. *decret.* 2. *part. in princ. num.* 1. Matien. *leg.* 5. *compilat. in Rub. tit.* 1. *num.* 1. Thom. Sanch. *lib.* 2. *de matr. diſp.* 1. *n.* 1. Baſil. Ponce *lib.* 1. *de matr. cap.* 2. Dicitur *Coniunctio maritalis*, quia ex mutua traditione manent coniuges vniti, & ligati, & quaſi vnum effecti. *Viri, & fœminæ*, vt exprimantur perſonæ coniungendæ, quæ debent eſſe legitimæ, hoc eſt nullo impedimento aſtrictæ. *Indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens*, id eſt inſolubilem: in quo matrimonium ab aliis contractibus longè differt, qui mutuo conſenſu celebrati mutuo conſenſu diſſoluuntur, non ſic matrimonium ex Diuina inſtitutione: tum vt proles aptiùs generetur, & educetur: tum vt coniunctio Chriſti cum Eccleſia ſignificetur.

Verùm quia prædictus contractus à Chriſto Domino in Sacramentum eleuatus eſt, ſic placet Toleto *lib.* 7. *ſum. cap.* 5. eſſe definiendum, vt ſit contractus viri, & fœminæ legitimus, quo mutua corporum poteſtas traditur gratiæ ſpiritualis collatiuus conſentit Gregor. de Valen. 4. *t. diſp.* 10. *quæſt.* 1. *part.* 1. Baſil. Ponce *lib,* 1. *de matr. cap.* 2. *num.* 10.

3. Quod ſi obiicias. Beatiſſima Virgo voto caſtitatis adſtricta teſte Auguſt. *lib. de virginit. cap.* 4. ex Diuino mandato (aliter enim non poterat) matrimonium contraxit cum Ioſeph, *Matth.* 1. *Lucæ.* 2. cui tamen non videtur in ſui corpus poteſtatem ad copulam conceſſiſſe: ergo de eſſentia matrimonij non eſt hæc poteſtas. Reſpondeo cum Gratiano *in cap. beata* 27. *q* 2. Beatiſſimam Virginem conceſſiſſe Ioſeph prædictam poteſtatem, ſed quia Diuino Spiritu ſecura erat ea poteſtate nunquam fore vſurum, potuit matrimonium contrahere; quia de eſſentia matrimonij non eſt generatio, ſed poteſtas ad generandum, & conſequenter neque conſenſus in generationem, ſed in illius poteſtatem. Quod ſi iterum obiicias, ſæpè coniuges non poſſunt ſibi mutuò petere, nec reddere debitum, vt contingit cùm confirmato matrimonio ex cõmuni conſenſu profeſſionem in religione approbata emittunt, & tamen matrimoniũ perſeuerat. Ergo matrimoniũ non eſt poteſtas ad vſum generationis. Reſpondeo negando conſequentiam, quia verè poteſtatem habent tametſi extrinſecè impedi

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN